



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Distinctio trigesima.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

men possibilis indeterminatio, quia licet haberet homo rectitudinem voluntatis ad deum & proximum, poterat tamen ab ea deficere, non autem à rectitudine appetitus sensitivi, nisi præcedente defectu rectitudinis voluntatis. Vnde possumus formare talem rationem, ubi est solus vnus modus ex natura determinatus, nec est possibilis alius: ibi non est necessarius aliquis habitus, sed respectu passionum appetitus sensitivi fuit vnus solus modus in statu innocentie ex natura determinatus, natura dico vt instituta fuit, nec fuit alius possibilis durante primo statu. Non enim potuit ferri appetitus sensitivus in suum obiectum, nisi secundum dictamen rationis, ergo respectu passionum non fuit tunc necessarius aliquis habitus. Maior patet ex his quæ dicta fuerunt supra de habitu, dist. 26. q. 2. Minor similiter declarata fuit supra, dist. 21. q. 4. cū quæreretur, Vtrum in statu innocentie potuerit homo peccare venialiter, sequitur ergo quod nulla virtus moralis circa passionem existens, fuisset in statu innocentie. Præter hoc autem est specialis ratio de his quorū obiecta omnino non fuissent, vt de fortitudine tangebatur in arguendo.

7 Ad primum argumentum dicendum quod in statu innocentie homo fuisset maxime perfectus etiam secundum appetitum sensitivum magis quàm nunc, sed illa perfectio fuisset innata seu infusa, & nõ acquisita. Vnde non fuisset habitus, vt nunc loquimur de habitu.

8 Ad secundum dicendum quod homo ex peccato nullum in hoc reportat commodum, quia perfectionem quam nunc habet tractu temporis, & difficultate acquirendam tunc habuisset à principio plenius & altiori modo quoad illa quæ respiciunt passionem appetitus sensitivi.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum in statu innocentie opera fuissent magis meritoria quàm modo.

Thom. 2. q. 95. ar. 4.

**D**Einde queritur, vtrum in statu innocentie opera fuissent magis meritoria quàm modo. Et videtur quod nõ, quia difficultas operis facit ad augmentum meriti. Vnde & virtus est circa bonum & difficile, sed modo difficilius est bene operari quàm prius, ergo &c.

2 Item bonum additum bono totum facit melius, sed nunc est meritum essentiale ex radice charitatis, cui additur meritum accidentale ex difficultate operis. Et istud nõ fuisset in statu innocentie, quare &c.

3 IN CONTRARIUM est, quia quãto aliquid est purius, tãto est melius in illo genere, sed in statu innocentie merita fuissent puriora, quia non fuissent permixta cum demeritis sicut modo, ergo &c.

4 **R**ESPONSIO. Comparatio meritum, de qua nunc agitur, potest fieri vel secundum totum statum, vel secundum particulares personas vtriusque status, si secundum totum statum, sic dico quod merita status innocentie & status moderni sunt æqualia, quia quantitas meriti innolescit ex quantitate præmii, sed præmium saltem essentiale est idem & æquale quod conferretur pro meritis modernis, & quod collatum fuisset pro meritis status innocentie si durasset, ergo &c. Minor probatur, quia præmiū quod reddetur pro meritis status moderni est quod erianus æquales angelis dei, in gloria, tunc autem non fuisset præmium maius, quia natura humana nõ est dignior angelica, nec minus, quia nõ esset ignobilior instituta quàm deservita, quare &c. S. autem in statu moderno ipse Christus includeretur, tunc merita status moderni excederent merita status innocentie, nullus enim in statu innocentie peruenisset ad æqualitatem gratie & glorie Christi.

5 Quantum autem ad meritum accidentale quod est ex difficultate operis, sicut in martyrio vel virginitate, non est dubium quod merita moderna excedunt merita quæ tunc fuissent. Si autem fiat comparatio meritum personarum singularium status pristini & moderni, sic dicendum quod tantum possunt homines mereri nunc quantum tunc, sed non ita faciliter. Quod patet, quia ubi nullum est retrahendum à bono, ibi voluntas promptius & facilius fertur in bonum, sed in statu innocentie nullum fuit retrahendum à bono, sicut modo est in nobis ex repugnantia carnis ad spiritum, ergo &c.

6 Veruntamen quia eadem principia bonæ operationis (scilicet ratio & voluntas) sunt in nobis quæ fuerunt in illo statu, nec deest gratia seu acceptatio diuina bonis operibus nostris, sicut nec bonis operibus aliorum defuisset, manifestum est quod quæ bene potest nunc operari, sicut tunc, licet non quæ facilius, quæ difficultas aut non auget meritum, quia non est ex natura operis, sed conditione operantis, vel si auget illud pertinet ad meritum accidentale, non essentiale.

In. 1. d. 173. quest. 2.

7 Per hoc patet. Ad primum argumentum.

8 Secundum etiã argumentum solum probat quod merita status moderni excedunt merita status innocentie, quo ad merita accidentalia. Quod autem in contrarium dicitur quod merita nostra sunt mixta demeritis falsum est, licet enim in nobis sint merita, sint etiam demerita: non sunt tamen permixta, vt ex demeritis inouantur merita extensiuè vel intensiuè, licet fructus eorum impediatur vsque ad solutionem reatus demeritorum.

Sententia huius distinctionis. XXX. in Generali & Speciali.

**I**N Superioribus insinuatum est. Superius determinat Magister corruptionem humanæ naturæ per peccatum in primo homine. Hic verò determinat qualiter peccatum cum ista corruptione in posteros deuenit. Et diuiditur in quatuor. Primo inquiritur peccati ordinem & quidditatem. Secundo eius traductionem. Tertio ipsius remissionem. Quarto eius aggrauationem, scilicet an peccatum primum parentum aggrauaretur. Secunda ibi, in princip. dist. 1. nunc superest inuenire. Tertia ibi in princip. 2. dist. quoniam supra dictum. Quarta ibi, in princip. 3. dist. ibi prædictis adiciendum. Prima est presentis lectionis, & diuiditur in duas. Primo determinat suum intentum, Secundo excludit obiectiones contrarias. Secunda ibi, vnde Augustinus Iuliano. Prima in tres. Primo inquiritur, an sit originale peccatum. Secundo quid sit quatum ad genus mortis, vtrum scilicet culpa an pœna. Tertio quid est quantum ad genus naturæ. Secunda ibi, quod diligenter inuestigandum. Tertia ibi, nunc superest videre. Secunda principalis, in qua excludit quosdam obiectiones, diuiditur in tres, scilicet cum tres obiectiones quas excludit. Secunda ibi, Item inquit Iulianus. Tertia ibi, ad hoc autem quod diximus. Et hæc est sententia & diuisio lectionis in generali.

2 IN Speciali sic procedit, & proponit primo, quod ex peccato primi hominis pœna & peccatum in posteros transit, & hoc est originale peccatum: quidam autem inintellegunt peccatum ab Adam transisse in posteros, non quod educatur ab eo per originem, sed per imitationem: circa quod dicit in hoc Magister errare Pelagium: si enim per solam imitationem diceretur peccatum eius in nos transisse, multo magis debet in nos peccatum transisse à dæmone, quem primo peccantem postea imitatur. Postea queritur quid sit originale peccatum, & dicit quod secundum quosdam originale peccatum nihil aliud est, quàm reatus quidam, quo homines sunt obligati ad pœnam pro peccato primi parentis, secundum tamè veritatem, originale peccatum ponendum est esse originale culpam à principio per originem traductam. Postea dicit quod ista culpa non est actus hominis, sed est quedam concupiscentia vitiosa mala desideria in nobis excitata, quæ aliquando languor naturæ dicitur, & aliquando lex membrorum, vel tyrannus vel lex carnis nominatur, & ex inobedientia dicitur omnes traxisse peccatum, id est, malam habitatem. Postea dicit quod Iulianus hæreticus querit per quã viam tale peccatum subintrat patre non peccante, nec genito, nec etiã conditore. Et responderet Aug. quod per inobedientiam primi parentis. Vltimo querit quomodo potuimus omnes esse in Adam secundum carnem, in quo non fuerunt tot athomi quot homines ab eo processerunt. Et responderet Aug. quod materialiter vel carnaliter in eo fuimus: alia quid autem ab eo decisum est, ex quo sine alterius materiæ additione per solam multiplicationem in ipso generatum est corpus filii. Et sic per similem decisionem factam à parentibus multiplicatum est genus humanum vel hominum, & nihil omnino exterius adueniens transit in veritate humanæ naturæ, quod probat per autoritatem euangelii, & etiam

2. 3. per

per rationem, quia in resurrectione habebunt homines perfectam quantitatem sine alicuius materiae additione: ergo & modo: non negat tamen Magister, quin alimenter transeat in veram carnem & ossa, sed non in veritate humanae naturae. Et in hoc terminatur, &c.

## QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum defectus quos sentimus in nobis, infint nobis à nobis.

Vide Caiet. 12. q. 109. ar. 2.

**C**IRCA distinctionem istam quaeritur primo, vtrum defectus quos sentimus in nobis scilicet mors, fames, frigus, agriquines, & huiusmodi infint nobis à natura, an sint nobis poena alicuius culpa. Et videtur quod infint nobis à natura, quia quae sunt vnus rationis, causantur ex principiis vnus rationis, sed mors & ceteri defectus sunt vnus rationis in nobis & in brutis: ergo quum in brutis sint à natura, & non ex culpa, videtur quod similiter sint in nobis.

2 Item in demonibus naturalia remanserunt integra post peccatum, ergo & in homine: quum igitur homo post peccatum sit immortalis, patet quod immortalitas eius non fuit naturae, sed gratiae, sed in viuientibus qui non est immortalis per naturam, est mortalis per naturam, ergo, &c.

3 **IN CONTRARIUM** est, quia omnis passio inflicta propter culpam est poena, non natura, sed mors est huiusmodi (vnde Gen. 2. Quocumque die ex eo comederis morte morieris) ergo &c.

4 **RESPONSIO.** Dicendum quod mors & ceteri defectus sunt in nobis à natura tanquam à causa per se, à culpa vero, sicut à causa remouente prohibens. Primum communiter probatur tali ratione, omne compositum ex contrariis, quorum vnum natum est agere in aliud est natura sua corruptibile, sed corpus humanum & omne mixtum est huiusmodi, est enim compositum ex elementis, quae ratione suae contrarietatis agunt inuicem, ergo, &c.

5 Secundum probatur sic, per donum originalis iustitiae prohibebatur omne laesum, inducens corruptionem in corpore, sed illud donum est ablatum propter peccatum parentum ergo peccatum est causa corruptionis, sicut remouens prohibens. Horum autem duorum secundum communiter conceditur. Primum autem insufficienter probatur, scilicet quod omne mixtum sit corruptibile, per hoc quod elementa ex quibus componitur ratione suae contrarietatis agunt inuicem. Quod patet, quia actio elementorum in mixto non potest intelligi nisi dupliciter. Vno modo, quia vnum elementum secundum illud quod est, agit in aliud, quod esse non potest, quia elementa non manent actu in mixto: omne autem quod agit, agit secundum quod est ens in actu. Alio modo sic, quia vna qualitas elementaris agit in aliam, quod potest esse adhuc dupliciter. Vno modo, quia vna qualitas agit in aliam sibi contrariam, puta calidum in frigidum, & humidum in siccum, & e converso. Alio modo, quia vna qualitas agit in aliam non sibi contrariam, puta calidum in humidum. Primum non potest esse, quia idem secundum idem non agit in seipsum, sed calidum & frigidum sunt vna & eadem qualitas in mixto, similiter humidum & siccum, ergo &c. Maior patet: minor probatur, quia si calidum & frigidum essent duae qualitates in mixto, aut distinguerentur secundum subiectum, aut solum secundum essentiam, non secundum subiectum, quia non quaelibet pars mixti esset mixta, nec secundum essentiam solum, quia tunc contraria essent in eodem subiecto, quod est impossibile: fit ergo in mixto ex calido & frigido vna qualitas media, & similiter ex humido & sicco, per hoc quod reducuntur ad medium: cum igitur idem non agit in seipsum, nec calidum agit in frigidum, nec humidum in siccum.

6 Item non potest dici quod vna qualitas agit in aliam non sibi contrariam, puta calidum in humidum, quia si calidum ageret in humidum, ageret in ipsum vel tanquam in contrarium vel tanquam in subiectum. Non tanquam in contrarium, ut de se patet, nec tanquam in subiectum, tum quia licet calidum & humidum sint in eodem subiecto, vnum tamen non est subiectum alterius, neque e converso, tum quia illud quod est ratio agendi actione vniuersa, non potest esse forma subiecti, in quod agit, alioquin idem esset simul in actu formali & in potentia formali, quia subiectum

habens talem formam, puta calorem calidum est formaliter, & quia transmutaretur ad similem secundum speciem esset in potentia ad calorem formaliter, & sic esset simul actu, & formaliter calidum & in potentia calidum & formaliter, quod omnes negat cum contradictionem implicet, sed calor est principium & ratio agendi vniuersa, quia habet calorem per ipsum causat similem, ergo non potest agere in subiectum quod perficit.

7 Item agens non corrumpit subiectum in quod agit nisi per accides corrumpatur aliquid quod requirebatur ad subiecti existentiam, si ergo calidum ageret in humidum sibi subiectum, non corrumpere ipsum directe, nisi corrumpendo aliquid, sine quo non posset humidum esse, illud autem non datur, quare &c. Nullo ergo modo corrumpitur mixtum, per hoc quod elementa ex quibus componitur, agunt & patiuntur ad inuicem ratione contrarietatis, sicut dicebatur, in mixto enim non est principium actuum suae corruptionis, sed passivum loquendo generaliter: principium vero actuum est extrinsecum. In continens contrarietate qualitatibus, quod immutat contentum à sua naturali dispositione ad innaturalem, & per hoc tandem corrumpitur. Vnde Philof. diffiniens putrefactionem quae est via ad corruptionem naturalem. 4. Meteor. dicit sic, Putrefactio est corruptio quaedam in vnoquoque humido proprie secundum naturam caliditatis ab aliena caliditate, hoc autem est quid ambientis. Ex quo possumus assignare veram rationem corruptionis in omnibus corporibus sic, omne quod per alterius actionem est alterabile à sua naturali dispositione ad contrariam per naturam corruptibile est, sed corpus humanum & omne mixtum, necnon & omne aliud quod qualitatibus elementaribus efficitur, est huiusmodi, ergo &c.

8 Ex quo sequitur quod cum corrupens sit qualitas extranea continens, vel alterius corporis, si esset aliquod corpus homogeneum simpliciter, & non esset aliqua qualitas alterius corporis ab eo dissimilis ei praesens, nunquam tale corrumpere: forte aliud esset de corpore heterogeneo, cuius partes non sunt eiusdem complexionis, sicut est corpus hominis, cuius etiam partes habent distinctionem secundum situm, quia complexio vnus partis non committitur alteri, & ideo vna potest aliam transmutare à sua naturali dispositione, & e converso, & per consequens corrumpere.

9 Ad primum argumentum dicendum quod mors & ceteri defectus in homine & in brutis, cum sint vnus rationis causantur ab eisdem principis per se. à natura, & sic mors in homine est à natura, non poena: propter hoc autem specialiter in homine causatur à culpa primorum parentum, non per se, sed sicut à remouente prohibens ut dictum est, & quantum ad hoc habet rationem poenae. Seneca autem solum attendens ad primum dicit quod mors non est hominis poena, sed natura.

10 Ad secundum dicendum quod immortalitas illius status non fuit naturalis simpliciter, sed gratiae collata: natura in sua institutione saltem quoad hoc quod per diuinam providentiam conferuabatur ab exterioribus laeuis, & postus fuit in loco temperatissimo, & nutriebatur cibis confortatius & purissimis, ut dictum fuit supra. 15. dist. 42. quibus per peccatum amissis incidit in necessitatem moriendi, ratione cuius mors & ceteri defectus sunt hominibus poenales, & hoc ei pro poena fuerit connumeratum, ut tangitur in argumento ad oppositum.

## QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum aliquis defectus in nos per originem transiens possit habere nomen culpae.

Tho. 1. 2. q. 81. ar. 1. 2. & 3.

**S**ecundo quaeritur, vtrum aliquis defectus in nos per originem transiens possit habere propriam rationem culpae. Et videtur quod sic, quia nullus est filius irae nisi propter culpam, sed ex natiuitate fumus filij irae, secundum illud Eph. 2. Eramus natura filij irae, ergo &c.

2 Item sicut se habet iustus ad iustos, sic peccator ad peccatores, sed secundum Ansel. si homo in iustitia perisset, iustitia originaliter in qua creatus erat in filios transfudisset, ergo quia peccatum culpam suam generando in alios transfundit.

3 IN CONTRARIUM est, quia nullus culpa tur, nisi ex his quæ sunt in eius potestate (vt dicitur tertio Ethicor.) Sed illud quod per originem trahitur non est in potestate nostra, ergo &c.

4 RESPONSTIO. Circa quætionem istam videntur sunt duo. Primum est, vtrum in nobis sit originale aliquod peccatū, vel aliqua culpa, & secundo supposito quod sic, vtrum illud sit dictum, vel qualitercūq; aliter, vtrumq; enim istorum proponitur in terminis quætionis.

5 Quantum ad primum tenendum est indubitanter q̄ in nobis est per originem aliquod peccatum seu aliqua culpa, & dicere oppositū est error Pelagii & Iuliani hæreticorū, qui negauerunt in paruulis esse quodcūq; peccatum, tollentes necessitatem baptismi à paruulis, vt recitat Aug. in diuersis locis. Quod autē oportet ponere in nobis aliquod peccatū originale patet auctoritate sacræ scripturæ & sanctorum, auctoritas scripturæ expressa est in Psalmis, vbi dicitur sic: Ecce enim, in iniquitatibus concepitur sum &c. Illud autem non potest intelligi de peccato paritum, cum actus matrimonialis quo cōcipiuntur filii possit esse absq; quocūq; peccato: & dicere oppositum sit erroneum, intelligitur ergo de peccato filiorum, sed quicquid habent filii pro tempore conceptionis totum habent à parentibus per originem, ergo aliquid existens in paruulis per originem est peccatum quod dicimus originale. Item Rom. 5. dicit Apostolus q̄ in Adam omnes peccauerunt, sed illud non potest intelligi formaliter, quia tunc non erant omnes, intelligitur ergo originaliter, quia ex eo quod nascuntur mediātē vel immediātē ab Adam qui peccauit dum in eo essemus, sicut in originali principio contraximus originale peccatum. Auctoritates ergo sanctorum Aug. Greg. cōplures sunt ad hoc, quas, quia magister sententiarum satis recitat in litera, ideo hic eas non infero, & hæc sufficiant quo ad primum.

6 Quantum ad secundum notandum est q̄ nunc loquimur de peccato quod habet rationem culpæ, & tale oportet esse voluntarium dicente beato Aug. libro de libero arb. q̄ peccatum adeo est voluntarium quod si non fuerit voluntarium nō erit peccatum. Ad sciendum ergo an peccatum originale sit peccatum propriē seu culpa in paruulo, quia de proprietate solum agitur in hoc articulo, oportet videre an sit propriē voluntarium. Potest autē esse aliquid dici voluntariū alicui dupliciter. Vno modo voluntate sua & propria personali. Alio modo voluntate alterius vt postea declarabitur, nec est dubium q̄ secundū nō est adeo voluntarium propriē sicut primum, quia voluntas alterius & actus eius nō potest adeo propriē dici voluntas mea, vel velle meum sicut voluntas mea personalis, & velle meū personale, oēs autem doctores & sancti catholici tenent & docent tam verbo q̄ scripto q̄ peccatum originale in paruulo nō est voluntarium voluntate vel actu voluntatis personalis ipsius paruuli, sed solum à voluntate primi hominis, vnde Aug. respondens Iuliano hæretico de hoc articulo dicit q̄ peccatū illud à voluntate primi hominis seminātū est, & in hoc concordant omnes sancti doctores quotquot audiui & legi. Constat autem quod peccatum actuale est voluntarium voluntate propria & personali ipsius peccantis actualiter, ergo peccatum actuale in adulto est magis propriē voluntarium, & per cōsequens magis propriē culpa seu peccatum quā originale in paruulo, nec puto quod aliquid sanæ mentis sentiat oppositum.

7 Voluntate autē aliena potest esse aliquid voluntarium dupliciter. Vno modo quando aliquis proprio consensu transfert in alterum suam voluntatem & auctoritatem vt quicquid alius egerit nomine istius gestum sit, tūc enim quicquid alius agit reputatur esse voluntariū istius ex precedente mandato vel consensu generali, etiam si res gesta ei displiceat quādo inhofescit, & hoc modo peccatum paruulorum non potest esse voluntarium quasi paruuli proprio actu voluntatis suæ præcōsenserint in illud quod Adam erat facturus, hoc enī dicere de paruulis qui nondum erant esset absurdum. Alio modo potest aliquid dici esse voluntarium voluntate aliena, quando voluntas vnus dicitur seu interpretatur esse voluntas alterius, quia vnus aliquo modo continetur in alio, sicut ponitur exemplum satis conueniens à doctoribus de milite cui si

detur castrum pro se & filiis si fidelitatem regi seruauerit, voluntas patris in seruando vel non seruando fidelitatem est interpretatiuē voluntas filiorum quoad consecutionem vel amissionem castris, quia sicut est ipsi datum nō solum pro se, sed pro posteris, sic seruat vel amittit nō solum pro se, sed & posteris. Et hoc modo voluntas Adæ dicitur fuisse voluntas omnium posterorū qui descendari erāt ab eo per viā naturalis generationis mediātē vel immediātē, quia ipsi pro se & pro tota posteritate collatū fuit à Deo munus iustitiæ originalis quæ consistebat in rectitudine voluntatis ad Deum, & inhobedientia virum inferiorum ad rationē, & in hoc q̄ in corpore nihil poterat accidere repugnās animæ. Et quia tunc non erāmus, nisi quia in ipso eramus sicut in originali principio, ideo voluntas eius qua peccando amisit prædictum munus sibi pro se & pro nobis collatum fuit interpretatiuē voluntas non solum eius, sed nostra. Et quia defectus huiusmodi originalis iustitiæ in nobis vel aliquid circa hoc dicitur esse peccatū originale, vt in sequente quæstione patebit, ideo tale peccatū dicitur fuisse voluntariū nō voluntate personali huius vel illius paruuli, sed voluntate Adæ quæ prædicto modo fuit interpretatiuē voluntas omnium qui tunc erant in ipso sicut in originali principio.

8 Iuxta quod etiā est aduertendum q̄ ipsi Adæ fuit aliquid per se & directē voluntarium puta cōplacere vxori in comedendo de fructu per vxorē oblato, aliquid autem fuit ei voluntariū non directē & per se, sed solum cōcomitatiuē & ex quadam consequentia. scilicet privati pro se & pro posteritate originali iustitiæ, hoc enim non fuit per se & directē per Adam volitum, sed sequutum est in ipso & in nobis ad peccatum eius actuale & voluntarium, & forte secundū se fuit inuoluntarium. Credibile enim est q̄ Adæ displicuit quando sciuit primo se tali dono priuatum. Patet ergo q̄ peccatum originale nō est in paruulo voluntarium personali voluntate paruuli quem ad modum peccatum actuale est voluntarium propria & personali voluntate peccantis actualiter, & ideo non est illo modo propriē peccatum vel propriē culpa, & sic intellexi ubiq; alias sine asserendo, siue recitando, siue absolute siue sub conditione dixi, vel scripti peccatū originale non esse propriē peccatū vel culpam, patet etiā q̄ nō est voluntarium voluntate aliena eo modo quo gestum per alterum aliquid dicitur voluntarium esse illi qui propria sponte transiit suam voluntatem seu auctoritatem in illum, alterum, quia talis consensus non potest fingi in paruulis nondum natis.

9 Reitat ergo q̄ illud peccatum fuerit voluntarium paruulo voluntate videlicet Adæ in quo erat sicut in originali principio. Et adhuc defectus ille qui dicitur originale peccatū in paruulo nō fuit per se & directē voluntarius voluntate Adæ, sed solum concomitatiuē & per quadam consequentiā vt dictum fuit. Qui ergo reputat q̄ tale voluntarium voluntate aliena non directē, sed concomitatiuē sit propriē voluntarium talis potest dicere q̄ peccatū originale in paruulo sit ei propriē culpa, qui autem nō reputat hoc propriē voluntarium, sed solum interpretatiuē talis necessario habet dicere q̄ peccatum originale non sit propriē culpa sicut est actuale, sed solum interpretatiuē, semper tamen fatendum est in paruulis esse peccatum originale seu culpam siue modus loquendi sit proprius, siue alius.

10 Ad primum argumentū dicendum quod sicut deus dicitur iratus non secundum affectum, sed effectum in quantum præparat pœnam alicui vel infligit, sic nos nascimur filij ite propter reatū pœnæ quem incurrimus ex peccato primi parentis.

11 Ad secundū dicendum q̄ Adam quia peccauit transfudit in posteros naturā ream caritæ iustitiæ originalis, sed nō transfudit culpam secundū propriam rationē culpæ eo modo quo peccatum actuale dicitur propriē culpa quæ est defectus voluntarius propriē, & ex propria & personali voluntate illius cuius est peccatum.

12 Ad Argumentum alterius partis dicendam quod Philosophus non nouit nisi peccatum actuale, quod est in potestate & libertate peccantis vt fiat vel non fiat, & tale habet propriissime rationem culpæ. Ex originali autem

autem non sic culpatur paruulus sicut ex actuali aditus sed solum imputatur ei ad culpam defectus quem habet quatenus fuit in potestate & voluntate sui originalis principii modo quo dictum est.

### QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum originale peccatum sit carentia originalis iustitiæ, an aliquid aliud.

*Thom. 1. 2. q. 82. Dur. de summe. Inf. 3. d. 4. q. 3.*

**TERTIO** queritur, vtrum originale peccatum sit carentia originalis iustitiæ, an aliquid aliud. Et arguitur quod non sit carentia originalis iustitiæ, quia illud non est aliquod peccatum quod inest nobis à deo, quia Deus non est author peccati, sed vltor, sed carentia originalis iustitiæ inest nobis à deo, ergo &c. Minor probatur quia sicut Deus per suam influentiam est causa gratiæ, & per cessationem suæ influentiæ est causa carentiæ gratiæ, ita videtur esse circa iustitiæ originalem & eius carentiam, quum iustitiæ originalis fuerit donum supernaturale sicut gratia.

2. **IN CONTRARIUM** arguitur: quia omne peccatum in eo quod est malū formaliter consistit in carentia alicuius perfectionis debite inesse, sed illa perfectio respectu peccati originalis non potest esse actus, nec in actu quia tunc originale esset actuale, ergo est habitus, non naturalis, quia naturalia post peccatum remanserunt integra in hominibus sicut in demonibus, ergo fuit supernaturalis, sed illa non videtur fuisse nisi iustitiæ originalis, ergo eius carentia est peccatum originale.

3. **RESPONSIO.** Circa quæstionem istam procedatur sic, quia primò ponitur duo modi dicendi seu duæ opiniones circa materiam istam. Et secundo inuestigabitur in quo conueniant vel differant, concludendo cum hoc, quid sit tenendum.

4. Primus modus est quem Magister sententiarum recitat in littera, dicens sic: diligenter inuestigandū est quid sit, de hoc enim sancti doctores obscure loquuti sunt, atq; scholastici doctores variè senserunt: quidā enim putāt originale peccatum esse reatum pœnæ pro peccato primi hoīs. i. debitum vel obnoxietatē qua obnoxii vel addicti sumus pœnæ temporali & æternæ pro primi hominis actuali peccato: quia pro illo (vt aiunt) debetur pœna æterna omnibus, nisi per gratiam liberentur. Hæc sunt verba magistri Sent. ex quibus apparet qd ipse nō reputat hanc opinionem hæreticam Pelagianā, vel ei propinquam, sicut quidam inconsideratè dixerunt: imò recitata hæresi Pelagii, qui dicit qd ex peccato primi parentis nihil transit in postereros propagatione, sed solum imitatione, & reprobata illa subiungit hanc opinionē connumerās eam inter opinionēs sanctorū doctorum & scholarū, vt clarè patet ex verbis eius statim positis.

5. Hæc autem opinio coloratur à quibusdam sic, nihil quod sit in paruulo per originem est ei culpa, nisi quod fuit Adæ culpa, sed nullus defectus existens per originem in paruulo fuit vel potuit dici culpa Adæ, nisi reatus pœnæ, vel pœna cū reatu: ergo hoc est peccatum originale in paruulo, vtrāq; præmissarū probatur. Et primo maior sic: Omnis defectus qui habet rationē peccati vel culpæ magis est peccatum illi cui est magis voluntarium: quia de ratione peccati vel culpæ est voluntariū: sine quo nō est culpa vel peccatū, sed secundū oēs doctores sanctos & alios oīs defectus existens in paruulo ab origine habet magis rationē voluntarij respectu Adæ, vel ipsi Adæ q̄ paruulo, imò nō habet rationē voluntarij in paruulo, nisi ratione Adæ, ergo omnis defectus existens per originem in paruulo habet magis rationē culpæ respectu Adæ q̄ respectu paruuli, vel ipsi Adæ q̄ paruulo: & hæc fuit maior. Minor probatur, quia nihil fuit vel potuit dici culpa Adæ, nisi quo peccauit, vel pœna, vel reatus: hæc enim oia quandoq; dicuntur peccata: actus autē secundum se non transit, nec trāsire potuit in posteros: transit autē quoad reatum & pœnam, quia ex eius peccato non solus ipse sed oēs peccati incurunt pœnam & reatum pœnæ, ergo pœna cum reatu, vel reatus pœnæ existens in posteris potuit dici ali quo modo culpa Adæ, & nihil aliud existens in paruulis, vt istis videtur, & hæc fuit minor, sequitur ergo conclu-

sio, scilicet quod illud idem, videlicet reatus pœnæ, sit peccatum originale in paruulis.

6. Secundo probant idem sic, Apost. tractans hæc materiam Rom. 5. comparat demeritum Adæ merito Christi, dicens, quod sicut per vnus inobediētiam, scilicet Adæ, peccatores constituti sunt multi, ita per vnus obediētiam scilicet Christi, iusti constituentur multi: sed ex merito obediētie Christi quo efficiuntur iusti nō fit in nobis nisi donum gratiæ aliquoties debite propter eius meritum, ergo similiter ex peccato Adæ nō fit in nobis nisi carentia alicuius doni prius habiti ab ipso, & debiti habere à nobis, & sic propter eius demeritū efficiuntur peccatores, quia rei vel obnoxii sumus huius carentiæ, propter quod talis reatus videtur secundum istos esse illud peccatū originale quod ex actuali peccato Adæ contraximus. Et confirmatur consequentia, quia vt in eodē cap. subditur, maius fuit donū Christi, q̄ delictū Adæ. Et ideo plus potuit meritum Christi in nobis, quoad iustificatiōem quam peccatum Adæ quoad condemnationem.

7. Item declarāt idem tertio sic, In eodem capitulo circa principii dicit Apost. sicut per vnus hominem peccatum intrauit in mundū. Et subdit qualiter, dicens: in quo omnes peccauerunt, & vt exponit Magister Sent. in littera, siue intelligitur in quo homine, siue in quo peccato factum est: in Adam enim omnes peccauerunt vt in originali principio nō solum eius exemplo, vt dicunt Pelagiani, Omnes enim ille vnus homo erat. Ita etiā in illo vno peccato quod intraret in mundum recte omnes dicuntur peccasse: quia sicut ab vno homine, sic in vno & eodē peccato immunes esse nō possunt, nisi ab eius reatu per Christi baptismū absoluantur. Hæc sunt verba eius, ex quibus patet qd omnes peccauerunt in Adam, & peccato suo, quia eius reatum incurunt, ratione cuius carent originali iustitiā, & carebunt visione diuina secundum cōmunem legem, nisi ab hoc reatu per baptismum absoluantur, vt Magister subiungit: in quo videtur innuere quod aliter non peccauerunt oēs in Adam, nec in peccato eius, nisi quia incurrerunt propter illud peccatū reatum pœnæ temporalis & æternæ prædictæ.

8. Contra prædictam opinionē arguit Mag. & soluit. Arguitur, si peccatum originale est reatus, ergo non est culpa nec pœna, quia reatus neutrum prædictorū est: illud autem videtur inconueniens, quare &c. Et respondet, dicens, qd quidam eorum qui prædictā opinionem tenent admittunt quod peccatum originale nō sit proprie culpa, nec pœna, nisi eo modo quo reatus vocatur culpa, & certum est qd scriptura & communis modus loquendi satis habet, qd reatus vocetur culpa. Nos enim consueuimus dicere aliquid manere in peccato, quando est reus pœnæ æternæ debite pro peccato, licet nō maneat in actu peccandi, nec in voluntate peccandi.

9. Secundus modus est qd peccatū originale est carentia iustitiæ originalis debite haberi, quod declaratur sic, voluntarius defectus seu carētia alicuius perfectionis necessaria ad salutē est peccatū, sed in paruulo carentia iustitiæ originalis debite haberi, est talis defectus seu carētia, ergo est peccatū. Maior de se patet ex ratione culpæ seu peccati, quæ est esse voluntarium malū. Minor declaratur, quia secundum ordinē primitiū à deo institutum iustitiā originalis fuit homini necessaria ad salutē consequendā. Et hæc collata fuit Adæ pro se & pro tota posteritate quæ peccato amisit voluntariē pro se & pro tota posteritate. Et ideo carentia eius cū debito habendi eam est defectus alicuius perfectionis necessaria ad salutē secundum ordinem primitiū institutū: est etiā defectus voluntarius totius naturæ ex voluntate Adæ, in quo dum peccauit fuit tota natura sicut in principio originali, quare &c.

10. Nunc restat videre quomodo isti duo modi conueniant vel differant, & videtur qd non differant in re: quia peccatum originale nō potest consistere in sola carentia originalis iustitiæ, quia talis carētia fuisse in homine cōstitutio in puris naturalibus, in quo nō fuisset aliquod peccatū vel aliqua culpa, quia talis perfectio nō fuisset debita haberi ab eo: omne autē malum est priuatio alicuius boni debiti haberi. Itē nec potest consistere in tali carētia

cum

cū debito habendi, nisi sit aliquo modo voluntaria: quia nullum est peccatū nisi voluntariū: vnde si aliquid debitū haberi perderetur per violentiā simpliciter, ita q̄ amissio nullo modo esset voluntaria, nec antecedenter, nec alio quocunq; modo nullum esset peccatū. Requiritur ergo, q̄ si illa carentia sit peccatū, q̄ sit voluntaria, sed nō nisi a voluntate Adā, quæ, vt dictum est, potest interpretari dicitur voluntas nostra. Non fuit autē aliter voluntaria voluntate Adā, nisi quia voluntas Adā vel actus volendi ipsius meruit q̄ talis perfectio, videlicet iustitia originalis, ipsi & posteris auferretur: vnde ex peccato voluntario Adā dignum seu debitū fuit q̄ tam ipse q̄ posteris carerentur iustitia originali. Et indignū fuit q̄ eam amplius haberent, & in ista dignitate seu debito carenti tali dono vel indignitate habendi tale donum consistit formaliter ratio peccati originalis, quæ in nullo aliorū sine hoc est aliquid peccatum, quod etiā expresse dicunt aliqui illorū qui ponunt secundum modum, dicentes q̄ peccatum originale est carentia iustitiæ originalis debite haberi cū indignitate habendi eam, vel cum dignitate, vel debito carenti ea.

11 Ex quo potest sic argui, esse dignum pœna est esse reum pœnæ, & dignitas pœnæ est reatus pœnæ proveniens ex aliqua culpa, sed esse dignum carere iustitia originali debita esse est dignū pœna, quia carentia iustitiæ originalis debita est quædam pœna damni, ergo esse dignum carere iustitia originali est esse reum talis pœnæ, quæ est carentia iustitiæ originalis debita, & talis dignitas est reatus, qui ergo ponit quod peccatum originale consistit in hoc quod est esse dignum carere iustitia originali debita, sicut illi de secundo modo realiter ponunt, quod consistit in hoc quod est esse reum tali carentia, quia talis dignitas est reatus, & econuerso. Et hoc est quod dicunt tenentes primum modum, & sic inter primum modum & secundum non videtur esse differentia in re, sed solummodo in verbis, de quibus non debet esse controversia quando consistat de rebus.

12 Nunc ergo restat ponere quid tenendum sit in hac materia, & est indubitanter tenendum quod in paruulis est peccatum originale, cum hoc dicat sacra scriptura quæ est a deo inspirata, sed quid sit & necesse est autem q̄ sit vnum trium quæ incurrimus propter demeritum peccati primorū parentum. Primum est carentia iustitiæ originalis quæ debebamus habere & habuissimus ex dono factio primis parentibus pro se & pro posteris, si nō peccassent: & quia peccauerunt, indigni sumus eam habere, & digni ea carere tanquā rei talis pœnæ seu carentiæ ratione prædictæ culpæ. Secundo est in nobis rebellio virtutum sensitiuarum ad rationē. Et tertio est in corpore passibilitas & mortalitas.

13 Quod autē trium istorum sit, seu voetur peccatum originale, non inuenio q̄ aliquis dixerit ipsum esse inortalitatem seu passibilitatē, quia ista magis se tenet ex parte corporis: peccatum autem magis ex parte animæ. Magister autem Sent. dicit ipsum esse habituales concupiscentias, seu concupisibilitatem vel fomitem, aut legem carnis & membrorum, languorē naturæ & tyrānum, quæ omnia accipit pro vno & eodem, scilicet pro rebellionē virtutum sensitiuarū ad rationem, quāuis ex diuersis rationibus. Et hæc sententia Magistri tangit illud quod est materiale in peccato originali, & nō illud quod est formale, vt alij doctores dicunt communiter.

14 Communior autem opinio est q̄ peccatum originale est carentia iustitiæ originalis cum debito habendi eam, & dignitate carenti ea: quæ dignitatem alij nominant reatum, concordantes in re significata, sed differentes in nominatione: teneamus ergo rem quæ ab omnibus tenetur communiter, & verbosi, contentiosi, calumniosi, & malitiosi homines disputant de nominibus.

15 Ad argumentum in oppositum dicendum quod carentia originalis iustitiæ est in nobis a Deo tanq̄ a subtrahente iuste a nobis donum suum propter demeritum primorum parentū, sed in hac carentia præcise non consistit formaliter originale peccatū, sed in esse dignū vel reum talis carentiæ: hæc autem dignitas vel reatus nō est in nobis a Deo, sed ex peccato primorum parentum.

16 Argumentum pro altera parte satis concludit quod peccatum originale satis includit carentiam originalis iustitiæ.

fuit: sed non probat quin plus includat: includit enim debitum habendi, & dignitatem carenti, quam dignitatem alij vocant reatum.

## QVÆSTIO QVARTA.

Verum alimentum conuertatur in veritatem

naturæ humanæ:

Thom. 1. q. 119. ar. 1.

**P**ost hæc queritur, vtrum alimentum conuertatur in veritatem humanæ naturæ. Et videtur quod non: quia quod transit in veritatem alicuius naturæ, transit in eius speciem: sed alimentum nō transit in carnem humanam secundum speciem, sed in carnem secundum materiam, vt patet ex primo de generatione, ergo & c.

2 Item si alimentum transit in veritatem humanæ naturæ, quicquid in homine deperditur restaurari posset: sed mors naturalis non accidit nisi propter deperditionē alicuius quod non restauratur, ergo per sumptionem alimenti homo posset mortalitatem naturalem euitare, quod est falsum.

3 **I**N Contrarium arguitur, quia quod est in natura si potentia vt sit tale, per agens naturale efficitur actu tale, sed alimentū est potentia caro, vt dicitur. 2. de anima, ergo efficitur actu caro per aliquod agens naturale, illud autē est virtus nutritiua in homine, per se habet ad nutrimentum, vt agens ad proprium passivum, ergo & c.

4 **R**ESPONSIO. Quicunq; ponunt alimentū nō conuerti in veritatem humanæ naturæ, sed ipsum esse quoddam fomentum prohibens consumptionem humiditatis radicalis ad modum quo plumbum posita in fornace prohibet consumptionem argenti vel auri, vt Magister videtur sentire in litera. aut quicunq; dicunt alimentum aliter conuerti in veritatem humanæ naturæ, sed non æque pure, vt illud quod præexistit, sicut posuit Alexan. quæ opinioniones in scriptis communibus sunt satis lucidæ, mouentur ex vno motiuo, quia videtur eis q̄ si per conuersionē alimenti in naturam nutritiæ restauratur deperditum, cum continuē fiat deperditio, tandem posset contingere quod homo tandem viueret, quod nihil de materia quæ fuit in eo in principio vitæ suæ maneret in fine: quia quicquid esset a principio, foret per cōtinuam consumptionem successiue deperditum, & maneret solum illud q̄ ad restorationem deperditū esset ex alimento conuersum. Ad hoc autē sequitur q̄ nō esset idem homo numero in fine & in principio, cum ad identitatem numeralem requiratur identitas materiæ & forme. Hoc autē est manifestum inconveniens: ideo ponunt q̄ aliquid vni & idem numero quod pertinet ad veritatem humanæ naturæ, semper permanet in homine, cuius vnitatem permanet idem homo.

5 Istud autē non oportet timere: si enim fieret deperditio secundum determinatam partem solum, puta secundam manum vel pedem, & in illam vel ad restorationem eius determinatē conuertetetur alimentum, & postmodū fieret alterius partis signatē deperditio, & eius per alimentum restauratio, & sic ita semper, vt distingueretur situ & loco illud quod ex alimento conuertitur, ab eo cui additur: forte verū esset illud q̄ dicitur. s. q̄ nō esset simpliciter idē animal in principio & in fine, quia materia alimenti nō acciperet formā præexistentē in materia nutriti, sed esset eius forma distincta, sicut ponitur materia alimenti adueniens, distincta a materia nutriti præexistente. vnde post aduentū alimenti, & receptionem formæ in ea seorsum a materia nutriti, animal esset aliud secundum partē q̄ prius, & post consumptionem secundæ partis, & eius per alimentum restorationem, esset aliud secundum duas partes per eandem rationem. Et finaliter esset aliud secundum omnes partes, & ita totaliter esset aliud: non sic autem est, imō alimentū sic conuertitur, vt nō sit seorsum signare illud quod conuersum est ex alimento, & illud quod præexistebat in nutritio: sed efficitur idem simpliciter in toto & in parte, ac per hoc manet animal idē simpliciter in toto & in parte.

6 Et potest ex hoc formari talis ratio. Illud nō variat indiuiduū in toto vel in parte, q̄ manet in indiuiduo idē

in toto, vel in parte, sed non obstante conuersione alimentum in veritate humana natura, nutriti materia manet eadem simpliciter in toto & in parte, ergo &c. Maior patet, minor probatur. quod enim adueniente alimento materia non fit a se in toto quam prius, clarum est, quia materia animalis non tota simul deperditur: ita ut forma fiat perfecte & totaliter in alia materia, quia iam vera esset corruptio vnius animalis, & vera generatio alterius, & non nutritio. Item neque est alia in parte, quia illa partialitas esset vel secundum essentiam materiae, quia materia secundum se partem non habet, sed est indivisibilis, nec secundum quantitatem: quia illud quod ex alimento conuersum est, non differt secundum situm quantitatis ab eo cui aduenit, sed est eadem numero quantitas, & est eadem pars quantitatis vtrunque perficiens: est igitur eadem materia quae prius in toto & in parte.

7. Causa enim hinc accipienda est, materia enim sit pure potentia sicut secundum se non est actu, sic secundum se non est vna vel plures actu, sed per formam quae est sua actualis entitas, est & sua actualis vnitas vel pluralitas, propter quod tota materia quae est sub aliqua vna forma substantiali, est vna & eadem substantialiter & essentialiter, nec est ibi dare diuersitatem aliquam, nisi forte secundum quod extenditur per quantitatem ex qua sortitur quantitatem partialitatem vel diuersitatem, quam tamen diuersitatem non est assignare inter illud quod conuersum est ex alimento, & illud quod praexistebat in nutritio, ut dictum est, ideo vtrumque est simpliciter vnum essentialiter & quantitativum, ac per consequens idem simpliciter quod prius in toto & in parte.

8. Haec autem sufficienter probata sunt, si concedatur quod post deperditionem & consumptionem factam in corpore, animalis forma manet eadem simpliciter in parte & in toto, & quod ipsa manente sic eadem, fiat illud quod conuertitur ex alimento. Si vero per consumptionem vel resolutionem factam a corpore forma varietur in toto vel in parte, vel per aduentum nutrimenti varietur aliquo modo forma nutriti iam non videtur quod maneat simpliciter idem animal quod prius, cum ex forma iudicetur tota identitas vel varietas rei.

9. Posset autem alicui videri quod per resolutionem factam a corpore vel nutrimento adueniente forma nutriti in aliquo varietur saltem in aliis ab homine, quia forma quae non est separabilis a materia cum definit esse in materia, definit simpliciter esse: & cum incipit esse in materia, incipit simpliciter esse, sed omnes formae viuentium praeter formam rationalem sunt inseparabiles a materia, ergo cum desinunt esse in materia, desinunt simpliciter esse: & cum incipiunt esse in materia, incipiunt simpliciter esse: sed in deperditione quae fit in corpore animali, forma secundum aliquid sui definit esse in materia: quia materia quae fuit sub forma animalis, secundum aliquid sui definit esse sub ea. Alioquin nulla fieret resolutio a varietate naturae, similiter in nutritione forma nutriti secundum aliquid sui incipit esse in materia, sicut & aliquid materiae quae prius non fuit sub forma nutriti incipit esse sub ea, ergo ut videtur per resolutionem factam a corpore, vel nutrimento adueniens variatur forma nutriti secundum aliquid sui.

10. Et dicendum quod si fieret resolutio alicuius partis determinatae & distinctae secundum situm ab aliis vel in nutritione, fieret talis partis additio proculdubio per resolutionem factam a corpore & nutritionem, similiter forma nutriti secundum aliquid variaretur: quia forma quae extenditur extensione materiae diuisione partis, a toto diuiditur, & corruptione talis partis corrumpitur secundum partem. Et proportionabiliter est dicendum in additione talis partis: sed cum fit resolutio alicuius indistincti, id quod resolutur priuatur quidem forma sub qua erat, sed forma totius in nullo variatur essentialiter, quia nihil distinctum ipsius formae perficiebat illud quod resolutum est. Et proportionabiliter intelligendum est in additione quae fit per nutritionem, propter quod sicut in nutritione fit vera corruptio alimenti absque vera & propria generatione nutriti, sic in resolutione absque vera & propria corruptione animalis secundum totum vel partem fit vera generatio vermium, vel alterius rei in materia a corpore resoluta.

11. Ad primum argumentum dicendum quod Philos.

non vocat carnem secundum materiam, eo quod careat forma carnis per quam pertinet ad entitatem & vnitatem naturae carnis: quia quod adgeneratur ex alimento, adiungitur corpori nutritio per modum cuiusdam mixtionis, sicut aqua miscetur vino, ut ibidem ponit exemplum Philo- talium autem efficitur vna natura, sed vocat carnem secundum materiam, carnem consideratam secundum naturam materiae quae ut sic aduenit, & recedit: carnem vero secundum speciem eandem consideratam secundum materiam formae, quae ut sic manet semper eadem in toto & in parte, ut declaratum est.

12. Ad secundum dicendum quod sicut virtus vini conuertentis aquam paulatim per admixtionem aquae debilitatur ut tandem fiat aquosum, sic virtus conuersiva alimentum, primo quidem fortis existens, postea debilitatur, deinde deficit ita ut neque possit aliquid conuertere, & tunc fit consumptio sine refectione, & necesse est animal naturaliter mori.

### QUESTIO QUINTA.

Vtrum semen sit de superfluo alimentum.

Thom. 1. q. 119. ar. 2.

Deinde quaeritur, vtrum semen sit de superfluo alimentum. Et videtur quod non, quia instrumentum non recipit virtutem principalis agentis nisi per vnionem ad ipsum, sed semen habet in se virtutem generandi instrumentaliter deriuatam ab anima patris, ergo hoc est per vnionem quam habuit cum anima patris: sed omne vnium animae patris est de substantia eius & non de superfluo, ergo &c.

2. Item Damas. dicit quod generatio est opus naturae, de substantia generantis producens id quod generatur, sed illud quod generatur in viuentibus generatur ex semine, ergo &c.

3. Item filius assimilatur patri secundum illud quod accipit ab ipso, sed si semen esset de superfluo alimentum & non de substantia generantis plus acciperet filius a porco, vel a boue cuius carnes pater comedit quam a patre, ergo plus deberet assimilari porco, vel boui quam patri quod est falsum.

4. IN CONTRARIUM est, quia natura non alieuiatur quando aliquid de substantia rei deciditur, sed magis grauat, sed per decisionem seminis natura alieuiatur, ergo &c.

5. RESPONSIO. Sicut circa praecedentem quaestionem sunt opiniones sic circa istam. Quidam enim tam Philosophi quam Theologi ponunt quod semen est aliquid distinctum a substantia & a virtute naturae generantis, alia tamen & alia ratione. Theologi enim hoc posuerunt propter traditionem peccati originalis quod non credebant posse trahi cum semine nisi semen esset de substantia generantis, quia per hoc videtur peccatum originale traduci a parente in prolem, quia aliquid prolis fuit infectum in parente quod cum sua infectione deriuatur in prolem. Motiuum autem Philosophorum fuit ex assimilatione prolis ad parentem quae similiter non videtur esse nisi propter aliquid vtriusque commune quod similiter est in prole a parente pertinens ad substantiam vtriusque.

6. Primum autem motiuum non valet, quia semen cum sit aliquid inanimatum non potest esse subiectum peccati ut eius translatione traducatur peccatum, quod solum est in habente lib. ar. Item si aliquid pertinens ad substantiam patris cum sua infectione transiret ad naturam prolis tunc idem numero peccatum originale esset in parente & prole, sicut esset idem numero deriuatum ab vno in alterum. Item si per deriuationem alicuius naturae infectae in parente deriuaretur in prolem peccatum originale, cum non deriuaretur in prolem tota natura parentis infecta, sed aliquid eius, sequeretur quod in patre esset quoddam magnum peccatum originale quod diuideretur in filios in multa parua peccata originalia sicut & ipsa natura patris non secundum se tota sed secundum partem sui deriuatur in filios, quae omnia sunt absurda.

7. Prædictum etiam motiuum Philosophorum sumptum ex assimilatione parentis ad prolem, vel e conuerso non est sufficiens, quia assimilatio duorum attenditur secundum formam

formam, non secundum materiam. Omnia enim generalia comunicant in materia, nec tamen sunt similia illa similitudine de qua loquimur, semen autem secundum istos ponitur pertinere ad substantiam patris, vel parentis & proli solum materialiter tanquam illud ex quo formatur corpus proli, ergo secundum ipsum non attenditur assimilatio inter parentem & prolem. Et si dicatur quod assimilatio licet non possit esse ratione materiae remotae, potest tamen esse ratione materiae propinqua qualis materia est semen. Dicendum quod ubi tota substantia rei est materia sicut in artificialibus assimilatio potest esse ratione materiae, sed in naturalibus ubi praeter materiam qualitercunque acceptam ad substantiam rei pertinet forma, materia parum aut nihil facit ad assimilationem. Ex hoc ergo quod semen ex quo formaretur corpus proli desideretur de substantia patris non possit reddi sufficienter causa assimilationis parentis ad prolem, sed tota fumenda est ex virtute formatiua quae est in femine ex anima patris quantum semen non decidatur de substantia eius.

8 Dicendum ergo quod semen dicitur de superfluo alimenti. Quod patet ratione & signo: ratione sic, quia si semen esset aliquid resolutum ab eo quod iam pertinet ad substantiam membrorum, aut retinet naturam eius a quo resolutum, aut non, si retinet naturam eius a quo resolutum, aut esset resolutum a determinata parte, aut a toto, si a determinata parte, tunc non haberet virtutem mouendi ad naturam totius. Si autem resoleretur a toto, & naturam eius retineret, sic semen actu esset quoddam animal paruum, & sic generatio animalis ex animali non esset, nisi per deriuationem quandam, quae manifeste sunt falsa. Si vero semen non retinet naturam eius a quo resolutum, tunc iam esset recedens a natura generantis & in via corruptionis existens, & per consequens non haberet virtutem producendi simile aliquid generanti.

9 Signa etiam sunt ad hoc quae ponit Philosophus lib. de generatione animalium, quorum vnum est, quia nihil dissolutum a corpore habet determinatum locum in ipso, sed vagatur per corpus, sicut apparet de sudore: semen autem habet determinatum locum in corpore, sicut & alii superfluitates resolutae ab alimento, & quasi in eadem parte corporis, in qua sunt loca aliarum superfluitatum, ergo &c. Secundum signum est, quia semen & superfluitas alimenti consequuntur se in multitudine & paucitate: quia ubi inuenitur minus de superfluo alimenti, ibi inuenitur minus de femine. Et propter hanc causam in pueris non est semen, quia superfluum nutrimenti conuertitur in augmentum. Pingues etiam homines sunt pauci feminis, quia superfluum alimenti in eis conuertitur in pinguedinem, & quaedam similia, quae inducuntur ibidem a Philosopho. Ex quibus patet quod semen non est aliquid resolutum de substantia corporis, sed de superfluo alimenti.

10 Ad primum argumentum dicendum quod ad hoc quod instrumentum recipiat virtutem principalis agentis, non requiritur vnio secundum suppositum, sed sufficit vnio per contactum, ut patet in securi mota ab artifice: hoc autem modo vnitur semen animae generantis: per virtutem enim animae nutritivam digeritur alimentum, ut assimilaretur naturae corporis: quando ergo venit ad ultimam digestionem antequam sit in membra conuersum mouetur, ut statim per virtutem animae accipiat formam cuiuslibet membri. Cum ergo per virtutem nutritivam conuersum est de alimento, sic praeparato id quod ad nutrimentum indiget, residuum quod est nutritiue resolutum ad actum generatiue: unde ex hoc accipit ut moueat materiam foetus eo motu quod mouebatur in corpore, mouebatur autem sic, ut acciperet formam cuiuslibet membri, & ideo virtutem habet formandi materiam proli in singula membra corporis.

11 Ad secundum argumentum dicendum quod generatio alicuius dicitur esse de substantia generantis non materialiter, sed formaliter, inquantum forma generantis quae est principalior pars substantiae rei, est principium quo generas principaliter generat, & ab ipsa est virtus actiua in agente instrumentali.

12 Ad tertium dicendum quod assimilatio non est propter conuenientiam in materia sed in forma, & ideo de quocunque sit alimentum siue de carnibus bouis siue porci,

quia tamen virtus quae est in femine quod est superfluum alimenti, est productiua similis formae, & hoc habet ab anima generantis, & non a natura porci vel bouis, de quibus sumptum est alimentum, assimilatur magis filius patris, quam porco vel boui.

Sententia huius distinctionis. X. X. X. I.  
in generali & speciali.

Nunc superest inuestigandum. Superius determinauit Magister de quidditate originalis peccati. Hic determinat de eius traductione. Et diuiditur in tres. Primo determinat suum intentum. Secundo ex determinatione concludit probatum. Tertio excludit quandam dubitationem contrariam. Secunda ibi, iam ostensum est. Tertia ibi, sed adhuc opponitur. Prima diuiditur in tres. Primo mouet quaestionem, & eam determinat excludendo opinionem erroneam, & declarando veritatem. Secundo mouet quandam aliam dubitationem circa praedicta & confirmat. Tertio ostendit quo modo aliqui purgati a foeditate originalis culpe peccatum transmittere possunt. Secunda ibi, hic quaeri solet. Tertia ibi, ne autem miremur. Haec est sententia lectionis in generali.

1 IN SPECIALI sic procedit. Et proponit primo inquirendo vtrum peccatum originale traducatur secundum animam, an secundum carnem: & dixerunt quidam quod secundum animam, quia animam praesumunt ex traduce. Hoc autem non est ponendum, sed magis per carnis traductionem originale peccatum inducitur. Caro enim viciosa concupiscentia concepta virtute in se maculam peccati habet, & ideo ex vnione animae ad ipsam contrahitur peccatum originale. Et ideo dicitur peccatum manere in carne virtualiter. Postea quaerit, vtrum ista infectio carnis sit culpa an poena: non enim videtur esse culpa, cum culpa non sit in subiecto irrationali, nec poena, quia inter poenales non connumeratur. Et respondet Magister quod est quaedam fomes. Postea dicit, quod sicut ex circumcisio, secundum Aug. nascitur puer cum praepotio, & ex grano nudo granum cum palea, ita ex carne per baptismum munda, nascitur caro cum infectione originali. Postea dicit quod ideo nominatur originale, quia ex viciosa & libidinosa origine contrahitur. Et quia Christus talem originem non habuit, illud peccatum non traduxit. Vltimo quaerit quomodo peccatum potest esse in carne quando concipitur, cum tunc non sit mala, & respondet quod hoc ideo dicitur, quia tantum est ibi virtualiter infectio ex qua habet anima maculari. Et in hoc terminatur &c.

#### QUESTIO PRIMA.

Vtrum peccatum originale traducatur per originalem carnem.

Tho. 1. 2. q. 81. ar. 1. Gand. quodl. 2. 2. 11.

Circa distinctionem istam primo quaeritur, de modo traductionis originalis peccati, vtrum traducatur per originem carnis. Et videtur quod non, quia accidens non traducitur nisi traductione sui subiecti, sed caro non est subiectum originalis peccati, sed anima, ergo &c.

2 Item maior est conuenientia carnis ad animam, ex quibus fit vna natura, quam carnis ad culpam: sed anima non traducitur in homine per originem carnis, ergo multo minus culpa.

3 IN CONTRARIUM arguitur: quia secundum Apostolum ad Romanos 5. Per vnum hominem peccatum intravit in mundum. hoc autem non fuit per imitationem, quia sic intravit per demonem, ut patet per illud quod dicitur Sap. 2. Inuidia diaboli mors intravit, &c. ergo per originem ratione propagationis vnus ex altero: sed hoc modo propagatur ab homine solum secundum carnem, non secundum animam, quae est ab extrinseco per creationem, ergo &c.

4 RESPONSIO. Dicunt quidam peccatum originale tradi per traductionem carnis, hoc modo: Caro enim proli quae traducitur virtute seminis infecta est: habet enim quandam foeditatem ratione suae naturae, quae licet in femine vel carne non sit culpa, quia non sunt susceptiua culpa, anima tamen ex vnione ad carnem foeditatem contrahit ex hoc culpa, &